

1)   
 2)   
 3)   
 4)   
 5)   
 6)   
 g



DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**PHILISTÆORUM  
PLAGA,**

*i. Sam. V. vers. 6.*

Quam

EX DECRETO GRATIOSISS. FACULTATIS MEDICÆ  
IN ALMA VIADRINA  
PRÆSIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO

**DN. CONRADO JOHRENIO,**

PHIL. ET MED. U. DOCT. FACULTATIS SUÆ  
SENIORE & PROF. PRIM. p. t. DECANO,

**PRO GRADU DOCTORALI**

SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET  
PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CAPESSENDIS,

Publicæ Eruditorum disquisitioni  
submittit

*Ad Diem*      *Januar. Anno M DCC XV.*

AUTOR

**GEORGIUS Ruppermann/**

Gubenâ Lufatus.

~~~~~  
Francofurti ad Viadrum, Literis TOBIÆ SCHWARTZII.

DESCRIPTIO...  
94  
M...  
PLAGA

...

...

...





## PROOEMIUM.



*V*ariae sunt opiniones Sacrarum Literarum  
Interpretum in definienda Philistæorum  
plagâ, his expressâ verbis 1. Sam. V. v. 6.  
Et gravis fuit manus Domini in Af-  
dodæos & desolavit eos & percussit  
eos בעפלים τοῖς aphiolim. Sunt, qui per

hoc nomen sedem seu locum plagæ sc. posteriora, sunt eti-  
am, qui morbum potius istius loci intellectum volunt; hic  
verò, qualis fuerit? questio est ardua, tot tantisq; controver-  
sus implicata. Videas enim hic, qui vocent ἐδραν ποικίλων  
Sedem proeidiuam, alios autem, qui τὸ τῆς δυσεντερίας πάθος  
dysenteriae morbum. Pars ecce! τὸ τῆς Φαγεδαίνες ἕδρες  
ulcus phagedænicum seu exedens, ceteri verò vel ipsos  
mures, quorum plaga tamen ab hac diversa, ob agros ab illis  
vastatos, vid. cap. VI. v. 5. authores morbi existimant, in-  
gressos intestina Philistæorum illa extrahentes, vel  
pustulas sive ulcera, enata in orificio podicis, murium ha-  
buisse

(α) Conf. buiffe similitudinem contendunt. (α) Enimvero gra-  
 Sam. Bo- viſſimum, quo Deus Philſteos afflixerat, malum, neq. ullo modo  
 chart. Hie tolerabile, Sacer Codex עפֿלים apholim quidem, ſed Maſoretbe  
 rozoic. L.II. techoriim dicunt, vox, qua loquerentur verecundius,  
 c. 36. 7. Bux. טחוריim techoriim dicunt, vox, qua loquerentur verecundius,  
 10ff. Exer- animum modo, ſeu podicem designans, vi radicis טחור, Chal-  
 cit. ad Hiſt. dæo idem, quod claudere ac conſtringere, Græcè σφραγίζεις  
 Arc. ſæd. c. 19. p. 175 N. Syro, enixus eſt in exonerando, utraq. notatione ad ſi-  
 Fuller. Mi. gnificandum locum aptiſſimæ, præſertim accidentibus Arabe &  
 ſeck. ſacr. Æthiophe, quorum primus per lenticulam ejecit fons, alter  
 1. V. c. 3. per rugire eandem radicem exprimit. (β) Apholim verò  
 (β) Vid. S. vox ipſum morbum oſtendit, maniſeſtum ſatis ex Dent XXVIII.  
 Bochart. l. v. 27. ubi in morborum occurrit ſerie, cum dolore, plus minus  
 c. 7. Fr. Ni. pruriginoſo, homines valde moleſtantium. Placet Arabs, qui  
 eolaj Hodo- hoc loco עפֿלים apholim Hæmorrhoides loquitur, morbum,  
 get. Orient. Harmon. quo alius non magis conveniens, ſavente nimirum etymo i  
 p. 317. partim, quod radix עפֿל mox tumere & efferre ſe, mox  
 in altum contendere, & nomen עפֿל illud, quod clivum  
 eſt, partim etiam, quod vox cognata אפֿל caliginem & ob-  
 ſcuritatem notet. Hæmorrhoides enim, tumores verrucis ſi-  
 miles, nunc in ſpinctere deliteſcunt, nunc in margine ani  
 apparent clauſæ, Cæcæ proinde Medicis dictæ, & furentes,  
 ubi intenſiſſimus inter excernendum excruciat dolor, excre-  
 menti q. ſi Apertæ, cruore conſperſa videtur ſuperſicies. Atq.  
 hac plaga ad reprimendam ſuperbiam apparet commodiſſima,  
 expianda tandem ex mente Vatum, præter arcam remitten-  
 dam, imaginibus, ex auro ſolido conſectis, idololatricis, tam  
 murium, agros ſeraciſſimos devaſtantium, quam hæmorrhoi-  
 dum, anos miſerè vexantium. Equidem hic זעלם tzelem  
 vulgò imago, ſed nimis generaliter, melius Taliſman auo-  
 dit, ſimulacrum ſc. ſub certâ ſtellarum poſiturâ factum, in quod  
 ſuperio-

superiores mundi virtutes, ut vis agendi illi ex influxu insit, (si vera est fabula) derivantur. Varia ejus omni tempore in usu fuere, nec nostro etiam penitus obsolescere figuræ (vulgò Talsmanica) materia varia diversaque in omnibus scientiis & artibus, præsertim medicinâ, deprædicata vis. (γ)

Hujus autem speciej Philistæorum utiq; fuisse imagines muri- (γ) Vid.  
um, & anorum cum hæmorrhoidibus, suis similitum, eò verosimilium est, quò certius Sacerdotes illorum & Vates cæli ac sy- Jac. Gaffo-  
reli. Curio-  
derum spectatores solertissimi ad depellenda mala ejusmodi ad- sit. inaudit.  
hibebant, persuasi ratione, petiti à συμπαθεία; sed incaustum. & Nos.  
Quare potius hi authores sunt populo, tot malis presso & do- chæil p. 257  
mito, consecrarent illi, à qua salutem expectarent, malorum  
insignia, quod factum, & à Veteribus fieri solebat, aliquo  
metu vel periculo defunctis, testantibus tot antiquitatum mo-  
nimentis, qua omnia eruere, loci vetat angustia. At quor-  
sum hæc omnia? Hæmorrhoides in præsens curatius exami-  
nare, & quidem Cæcas, animus est, non solum epidemias olim  
ex Irâ Divinâ Philistæis, sed & hodie plerumq; communes Ita-  
liis, Hispanis atq; Gallis, aliisq; populis, imò & nostratibus  
non raro familiares. Malum certè furiosum, de quo tollendo  
mox cogitandum, ni pejora inde ac disuturniora expectare velis.  
**FELICITER!**

§. I. Latius

§. I.

**L**atius sese extendit vox αἰμορροΐς (παρα τὸ αἷμα ἢ πῶς quasi sanguinis fluxum dicas) quam ut tantum de inferioris gutturis, ut cum Plauto loquar, venis arteriisq; enuncietur, sed & iisdem vasis aliarum quoq; partium, seu de quocunq; sanguinis, ex qualibet corporis parte, proflusio id fieri, ex Hippocrate 2. Prorrh. Galeno comm. V. in 6. epidem. t. 25. & Celso. L. II. c. 8. constat, quodq; ipsum non raro in recentiorum medicorum scriptis obvium. Numero autem frequentius plurali efferuntur αἰμορροΐδες (sc. φλεβῶν, quasi venæ sanguifluæ) vel quia rarius una sola, sed crebro plures pariter sanguinem profundunt, vel quod illarum numerus, ob sedem in loco importunam, vix distingui ac determinari possit. Deinde ipsum sedis nomen pro tumore venarum usurpat Cels. L. VI. c. 18. ubi Hemorrhoides, inquit, sunt ora venarum, tanquam ex capitulis quibusdam surgentia, quæ sæpè sanguinem fundunt, & aliquandò sanguinis ex ani vel uteri venis profluxum Galeno Libr. de Theriac. ad Pison. c. 5. it. Cels. Aureliano L. VII. de Chron. pass. & Celso l. c. norat, dum hic pergit, idq; etiam in ore vulvæ feminarum incidere consuevit. Hinc mulier illa Matth. IX. v. 20. appellata αἰμορροΐσσα, de qua plura Thom. Bartholinus Tract. de Morb. Bibl. c. 17. p. 79. seq. & Joh. Schmidius Dissert. de Statuæ Hemorrhousæ. rectius quam qui hæmorrhoidum ani fluore immodico & diurno laborasse putant. Conf. Gr. Horstium Epist. Medic. Sect. X. p. 44). Magis autem usitate



ustatè & propriè de sanguinis per vasa ani sanguiflua fluxu, imò de vasis ipsis, iam venosis, quam arteriosis, hæmorrhoidalibus dictis, usurpatur. Hiuc Ammian. Marcellin. L. XXX. c. 6. Meatus aliqui, quos Hæmorrhoidas nunc appellamus, observati sunt gelidis frigoribus con crustati. Impropriè Serpentis quoddam genus notat, ex quo mas ἀμφοῖστος, contractè ἀμφοῖστος, femina ἀμφοῖστος dicitur, propterea quod morsu sanguinem elicit & dissolutis venarum commerciis, quicquid animæ est, per cruorem evocat, teste Solino c. 40. cujus descriptionem accuratam & indè tristes noxas amplius tradidèrè Aëlius Tetr. IV. ferm. 1. c. 23. & P. Egineta L. V. c. 15. elegantem Lucanus Pharsal. L. IX. vers. 708, 709. it. 806. seq. Hic serpens, num idem cum illo, de quo Genes. XLIV. vers. 17. ubi fata filiorum dispensans Jacobus de Dane ait: Danerit serpens superviam שֵׁפִיפּוֹן Sephiphon, super semitam, qui mordet calces equi, & cadit scissor ejus retrorsum, relinquimus scrutinio curioso S. Bocharti Hierozoi. part. post. L. III. c. 12. qui affirmat, & in eo defendendo diligentissimus. Germani Hæmorrhoides superbo nomine vocant Aureas Venas, die güldene Ader, den güldenen Aderflus, güldener Ader Gebresten (it. Rück Aderflus) procul dubio ab aureo & ingenti, quod valerudini præstant, inoffenso cursu fluentes, commodo. Cæteras, quas afferunt, non magni momenti rationes, videsis in J. Conr. Dieterichij Jatr. Hippocrat. p. 36.

§. II.

Verùm his non contenti medici vim ipsi naturæ & significationi vocis inferunt, ità ut hæmorrhoides

ides etiam vasa in ano tumentia, citrag<sup>z</sup> sanguinis effluxum protuberantia, & Cecas proindè nominent. Græcis τοφλαῖ ἀμορροΐδες. τὸ Cecum autem non designat hoc loco id, quod non videt, seu potentiâ utendi oculis caret, ut Appius cecus, quem Liv. L. IX. c. 29 vocat luminibus captum; neq; etiam, quod occultum est ac minus conspicuum, ut Libramentum, Plinio L. VI. epist. ult. abditum & cæcum; unde errant vehementer, qui hoc significatu nuncupant hæmorrhoides internas, quod in oculos non incurrant intusq; lateant: nec eo sensu venit, quo Columella L. I. c. 5. cæcos morbos vocat, quorum causas, ut ipse pergens dicendo interpretatur, ne medici quidem percipere queunt: Sed τὸ Cecum hic audit, cujus alterum extremorum non habet exitum, clausumq; est instar sacci, vel canalis, altero foramine obstructo & obthurato, non aliter, ac primum intestinorum crassorum appellarunt cæcum, quod exitus denegetur, omniscq; adimatur transitus. Præterea Job. Walzo Med. Pract. p. m. 195 hæmorrhoides cæcæ Varices eleganter dicuntur, atq; hoc simul commodè fieri, putamus cum Job. Fr. Leone ab Erlsfeld in Nov. & Vet. Aphorism. Hippocr. Interpr. p. 947. Hic, neq; multum differre, inquit, videntur Varices ab Hæmorrhoidibus, eò quod pari modo, quo hæmorrhoides tument, circa podicem, illæ in cæteris corporis partibus tumorem referunt, unde Varices describi solent, venarum in aliquibus corporis partibus tumores; (Germanis Krampf- und Kinds- Adern, quia gravidis in furis plerumq; ob suppressum mensium fluxum, nascuntur) & sicut hæmorrhoidales venæ tumefactæ nigrescunt, ita quoq; livescunt varices à congesto atq; stagnan-

stagnante in ipsis sanguine; quare hæmorrhoides rectè possent  
 Varices podicis appellari. Germanis Die Blinde güldene  
 Ader, Verstopfung, Anlauffen, oder Geschwulst der güldenen  
 Ader; in specie die Tacken, vox in lingvâ inferioris  
 Germaniæ usitata, antiquitate suâ sese commendans,  
 utpote superstes etiam hodieq; in linguâ Runicâ ve-  
 tutissimâ, in quâ Tak est ingentis molis allevatio, it.  
 Genus morbi, (procul dubio præsens nostrum) teste  
 Magno Olavio Specim. Lexic. Runic. in ord. redact. auct. &  
 locupletat. ab Olao Wormio Hassn. 1650. p. 125. Lingua verò  
 superioris Germaniæ pronunciat Zacken, & sunt promi-  
 nentie ramulorum.

§. III.

Sunt verò HÆMORRHOIDES CÆCÆ tuber-  
 cula Venarum Hæmorrhoidalium, dependentia aut ex vitio  
 sanguinis, aut ex vitio vasorum, aut etiam utriusq;, con-  
 junctus cum dolore exquisito ac intensissimo.

§. IV.

Tubercula dicimus Hæmorrhoides Cæcas, utpo-  
 te tumores præternaturales, eò quod Venæ Hæmorrhoida-  
 les, antea præ exiguitate suâ vix conspicuæ, nunc  
 tactui & visui, præsertim si externa, satis patent, & qui-  
 dem adauctâ horum, post alvi dejectionem laborio-  
 siorem, prominentiâ; distincti potissimum ab aposte-  
 matibus s. abscessibus, quod hi magni, à pustulis verò, quod  
 hæc minimi tumores appellantur; illa verò medij. Atta-  
 men inter sese hæc tubercula nunc valde, aliquando ovico-  
 lumbini, imò gallinacei magnitudine, & juxta Etmüllerum, ex  
 Obs. Lindam. Colleg. Pract. P. 1. L. 1. P. IX. c. 3. art. 4. p. m. 171.

B

pugnâ

pugni instar extra anum, nunc minus tumida existunt. Quædam sunt recentia vel inveterata; atque hæc aut periodica, certis temporibus, aut inordinata, post commissos in diæta errores, apparentia. Alia rursus facile citoq; cessant, diutius affligunt alia. Figura illorum interdum longæ sunt, verrucis similes, non nunquam rotundæ, nonnihil & latæ, baccæ uvarum magnitudine, nec rarò tum mori fructûs formam æmulantes, tum vesiculas quoque referentes; hinc verrucates, uvales, morales, ac denique vesicales dictæ Hamorrhoides. Cave autem, ut hîc deceptus cum vulgo, apparente aliquo tumore, sine morâ hamorrhoides affirmes cæcas, cum hæ sæpè mentiantur procidentiam intestini recti, aut excrescentias, similitudinem quandam exprimentes; quas inter præcipuæ condylomata, rhymus, ficus, marisca, rhagades, crista, porri s. verrucæ. Ab his omnibus quomodo tumentes hæmorrhoides, tum formæ, tum materiæ ratione differant, certè ob fugam periculi, juxta exempla variorum, imprimis chirurgi cujusdam incauti & judicare nescii apud Matth. Goth. Purmann. in Chirurg. Curios. P. II. c. 20. p. 473. scitu est necessarium, cum tales affectus à se invicem & naturâ & curatione multum distent. A Condylomatibus igitur distinguuntur hæmorrhoides, quod harum eminentiæ majores, magis rotundæ ac nigræ, inque venarum tantum reperiantur extremitatibus, cum illa sint tubercula, rugâ aliquâ corpusculorum, in ano replicatorum, p. n. inturgenti ac intumescenti, sensim ex crescentia, citra aliquando inflammationem mollia ac indolentia, quandoq; cum inflammatione & dura, cum

cum pruritu atque ardore, interdum etiam callosa, tædioſa potius plerumque, quam dolore moleſta. Rarius in digitis manuum atq; pedum, frequentius verò circa anum utriusq; ſexus, cum eminentiâ diverſâ, ſubinde etiam in clauſtris magis, quàm in ſinu pudendorum muliebrum reperiunda. A *Thymo* diverſæ ſunt hæmorrhoides, quod hæ majores, nigro propiores & ut plurimum doloribus acerbæ, cum *illa*, eò, quod florem *thymi* plantæ refert, ſic appellatus, tuberculofa quædam eminentia, aſpera, ad rubedinem tendat, ſitque oblonga, aucta in ſuperiori parte, dum auferitur, ſanguinem fundens amplius, quàm appa-rens magnitudo præferre videtur. Præterea variis aliis communis partibus, ut faciei, palmis, pedibus, femoribus, glandi, præputio, imò partibus mulierum lue Venereâ infectis, genitalibus. *Ficus* (*Ficatio*, *Sycosis* & *Sycoma*) eſt excrescentia carnea, non ita magna, doloris plerumque expers, non nihil ſubinde pruriens, dictus ita, vel quod baſin habeat ſtriçtam, ſupernam verò latam, vel quod colore accedat ad fructum ficuum, vel quod materia tandem, inde ſuppurans, acinos harum referat. Hinc jocus, quem in ambigua ſignificatione *fici* ludit *Martialis* L. VII. *Epigr.* 70.

*Ficoſa eſt uxor, ficoſus eſt ipſe maritus:*

*Filia ficoſa eſt, eſt gener atq; ſocer.*

*Nec diſpenſator, nec villicus ulcere turpi,*

*Nec rigidus ſoſſor, ſed nec arator eget.*

*Cum ſint ficoſi pariter juvenes q; ſenes q;:*

*Res mira eſt, ficoſos non habet unus ager.*

Conf. L. I. Epigr. 66. Atque hinc etiam *ficum* appellat  
hominem *ficosum* L. IV. Epigr. 52.

*Gestari junctis nisi desinis, Ædyle, capris,  
Qui modò ficus eras, jam caprificus eris.*

Alibi *ficetum*, locum ubi ficus consistit sunt, vocat L.  
XV. Epigr. 33. ubi de Labieno,

*Ut pueros emeret, Labienus vendidit hortos:  
Nil nisi ficetum, nunc Labienus habet.*

Oriuntur autem ejusmodi ficus vel ex immodicâ  
equitatione & attritione quâlibet, in illâ parte factâ,  
juxta Eund. L. XIV. Epigr. 86.

*Stragula succincti venator sume veredi:  
Nam solet à nudo surgere ficus equo.*

Vel ex præposterâ nascuntur libidine, igne piandâ,  
ubi tunc potissimâ audiunt *mariscæ*, propriè illæ,  
de quibus Idem antea & nunc L. XII. Epigr. 98. in Zelo-  
typam

*Chiam volo, nolo mariscam.*

*Ne dubites, quæ sit Chia, marisca tua est.*

& Juvenalis in Cæcilianum

*Sed podice levi*

*Ceduntur tumida, medico ridente, marisca.*

Cæterum *mariscas* diversimodè tradidèrè veteres,  
dum alij easdem majores faciunt *thymo*, ut *Aëtius* & ex  
eo *Forestus* L. XXIII. Obs. 3. *Mercatus* verò, Tom. III. L. 3.  
c. 17. minores *thymo* constituit. Hæc duo autem, *ficus*  
seu *marisca* & *thymus*, uno nomine Germani in hujus  
tumoris appellatione, cum *Feigwarzen* vocent,  
comprehendunt, teste *Platero Prax. med. Tom. II. c. 15. p. m.*

656. *Rhagades, Cristæ, Porri s. Verruca internoscuntur,* quod *hæ* exterius agant radículas, ad porrorum similitudinem, idq; ob majorem siccitatem; *illa* sint figuræ, sive ulcuscula ani oblonga, aliàs in manibus aut labiis. à frigore intenso, & in papillis lactantium ut plurimum oriunda; *istæ* carunculæ ani cristaceæ, & à quibusdam referente *Foresto, hæmorboidum cristatarum* sortitæ nomen, pullorum gallinaceorum cristis haud absimiles, à lascivâ luxuriæ procacitate & æstuantis libidine, neglecto naturæ fœdere, productæ. Hi verò ut alij, quos lubens prætereo, ani affectus ab *hæmorboidibus* plerumq; dijudicantur, quod in *illis* sola potissimum afficiatur cutis, nulla verò, nisi per accidens, vena, id quod in *his* accidit sanguine etiam turgidis magis nigricantibus. Quod si *internas* insideant *venas* tubercula hæmorrhoidalìa, oculis usurpari nequeunt, nisi per abdominis compressionem, spiritûs retentionem, fœcumq; alvi excretionem, præsertim sede prius aquâ calidâ forâ, aut adhibito ani speculo, ubi antiquis, in primis *Hippocrati*, ut sedes everteretur, placuit, *Rhagades* ut ventosa ad intuentum melius, apponeretur; sed quæ inusitata sunt, nec ita tuta nostris temporibus remedia. At, satis ex dolore ingenti, ardore summo, punctione maxime sensibili & pondere circa sedem graviore in parte illâ persentiunt, adesse aliquid, in primis in deponendo duro ventris onere, quod renitatur, & de quo graviter conquiri solent ægri.

§. V.

*Venæ Hemorrhoidales*, principale proximumq; hujus affectûs *subjectum*, aliæ sunt *internæ*, *externæ* aliæ; undè hæmorrhoidum nata divisio in *internas* & *externas*, *Internæ* copiosæ satis, satisque capaces ramificationes, sensim in uno insigni junguntur ramo, cujus ortum alij quidem aliquando à venâ splenicâ, rarius ab ipso liene, rarissimè ex caudâ lienis observarunt; sed quem frequentissimè Anatomîæ periti à reliquo trunco venæ portæ, inter cæteras ejus divaricationes meseraicas, derivant; ità, ut diffundat quosdam ramulos, imò excurrat ipsemet; per mesenterium, versus intestinum rectum ità quoq;, ut ipsius coli inferiorem partem haud intactam relinquat. *Externæ* sunt propagines venarum iliacarum, & quidem ab earum sic dictâ ramificatione hypogastricâ, è trunco venæ cavæ descendens productæ, à quibus spurguntur ramuli illi, non quidem valde amplii, satis tamen numerosi, & multiplicibus quasi serpentinis gyris & anfractibus orificium intestini recti lambentes; ut non modo describunt, verum etiam depingunt *Veslingius*, *Blasius*, *Verbeyen*, *Bartholinus* &c. Profundius verò intra corpus longitudinem intestini recti ambiunt & perreptant *internæ*, inq; recti intestini substantiam, quæ membranosa est, inseruntur; cum *externæ* musculosam, & extremam velut oram & limbum ejus, quatenus cum ipsâ cute conjunctus est, percurret. Undè non mirum, *externarum* hæmorrhoidum perruptionem rem esse sæpè numero in difficili, & vix unquam sine externis auxi-



auxiliis optabilem habere exitum. Afficiuntur autem hoc loco potissimum *venæ hæmorrhoidales* (a) quod in externo corporis positæ faciliè coangustentur, cum substantia illarum tenuis est ac mollis, arteriarum autem densa, dura & crassa, teste in primis *Petr. Dione Demonstrat. Anatom. 2. p. m. 165. cui arteria hæmorrhoidalis est una ex crassioribus ramis, qui ex mesentericâ superiori & inferiori, ex aortæ trunco prodeuntibus, oriuntur, adeoq; ad propulsiõnem sanguinis magis firma ac stabilis &, quia deorsum fit, facilis, cum (β) Sanguis per venas ferè perpendiculariter ascendat sursum, idq; difficilior;* (γ) Vena portæ, tanquam internarum hæmorrhoidum fons, valvulis destituta, æquè proclivem pativideatur refluxum, quàm profluxum; (δ) Arteriæ primario usu nutritioni partium, ad quas tendunt, destinatæ sint, venæ autem ad superfluum à nutritione sanguinem revehendum; (ε) Omnis fluxus ex arteriis, etiã minutissimis, non modò continuus, jugis ac perennis sit, sed ipsius quoque pulsus micaciones tam perspicuæ sint, ut oculis judicari queant; cum è contrario hæmorrhoidum fluxus planè nunquam continuè & quasi spontè profluat, verum ita modò in eâ stagnatione compressus hæreat, ut solâ pressione nisiq; sacum excernendarum, quoties deponenda alvus, aliquid ejus unà propellatur. *Conf. H. Conring. de Sang. Gener. & Motu c. 38. p. 382.* Quibus in super additur (ζ) quod si ejusmodi venæ varicosæ in artubus inferioribus hominum obesorum & fæminarum prægnantium sepe, non nunquam & in temporibus, testiculis, vasis spermaticis,

ac

ac pudendis muliebribus exsurgunt molestæque fiunt, quidni etiam hæmorrhoidalibus idem, præ arteris, obtinget venis? Non autem in hoc affectu *venosa* ita inculpamus *vasa*, ut planè exclusas velimus *arterias*, per quas sc. arteriosus sanguis è corde ad partes & quidem hic à mesentericâ inferiori, & iliacâ hypogastricâ, ad anum usq; protendi solet. Poteest enim fieri, ut, cum in fluore hæmorrhoidum sanguinem per *arterias hæmorrhoidales*, per anastomofin apertas, exprimi certissimum sit, eadem quoq; ab sanguinis copiosi appulsum imperuosiore, sed repulsam ferentis, propter clausa orificia, ultra quæ nulla ejus in venas transmissio, nec ullus præsens regressus; vel ob à venis omnem absorptum sanguinem, unâ cum venis intumescant, unaq; sic *hæmorrhoidum cæcarum* constituent *subjectum*.

§. VI.

*Causa* Hæmorrhoidum Cæcarum dependet, aut à *vicio sanguinis*, aut à *vicio vasorum* aut etiam *utriusq;*. In sanguine ubi copia accufatur *nimia*, ejusdemque ab intercurrente aliquo acido fixo *crassities ac visciditas*, ad fluxum minus, ad obstructions relinquendas magis apta; quemadmodum hæc vitiosa qualitate imbutus sanguis in viris hypochondriacis, aut exindè scorbuticis vel splenicis; verbo: In melancholicis affectibus, ob sanguinem minus mobilem, fixis quippè salibus imprægnatum, depræhenditur; sicuti *tenuitas* ejus, nimiusq; *fluor* & *acredo*, hinc fervor & ad fermentationem ac motum impetuosiorem

orem pronitas, cholericis familiaris, à fale volatili oleoso & acri, sanguinis dissolutionem & fluiditatem plus promovente, plus hæmorrhoidibus fluentibus, quàm cæcis causam ministrante. In *vasis* latet angvis s. causâ, quando Natura, conservatrix sui, & provida utilitatum totius æconomix animalis consultrix, propulsura, quæ sanitatem turbare possunt, à principibus ad ignobiles partes, atque hîc ad intestina, per vasa hæmorrhoidalia, amandat, ut per horum orificia materiam illam peccantem, crassam, viscidam, ponderosorem ac molestatam, ex ano expellat, atq; ejiciat; hæc autem non sunt *aperta*; sed aut *per se clausa*, aut ob nervosum tunicis intestini recti & substantiæ circularis sphincteris innexum, à salis acris asperitate, factâ irritatione, spasmodicè quasi crispatum, *constricta magis & angustata*; aut etiam ab ipso hoc sanguine crasso, tenaci, illic subsistente, sibi que viam præcludente, aut ab aliis humoribus viscidioribus, licet etiam quodammodo hiarent, *obstructa*, aut denique ob attritionem frequentem, à duris excrementis factam, *duriora callosioraq;* magis facta; aliquando à cicatrice post exulcerationes relicta, vel aliquo duro scirrhosq; podicis tumore, vel conatu quodam fortiori in deponendâ alvo, aut alio modo, *pressa, contractata, penitus occlusa*. Præterea, si venæ ad excipiendos crassiores viscidioresq; humores, imperuosius appulso, non probè affectæ sunt, indèq; tam in venulis, quàm arteriolis hæmorrhoidalibus, sanguis tenetur stagnare, aut, quod magis plausibile, sanguis ob lentorem retro valvulas venularum urgetur & cogitur,

C

stagnat

stagnando subsistit, atq; ob continuum affluxum & aggregationem tunicæ vasorum nimium expanduntur, distenduntur & intumescunt; de reliquo, propter acredinem, seu congestionem in humoribus obortam, aut hanc magis auctam, nervi roduntur, vellicantur, hinc crispantur & constringuntur, aliter certè fieri haud potest, quam ut, dum maximè hic omnis quies in unitate consistit, omnis labor in salutione continui, *Dolor* indè sequatur *exquisitus ac intensissimus*, tam interdum acerbus, ut in furorem ferme agat patientes, imò quandoq; linquat animus, cum supervenientibus motibus convulsivis. At verò, si tumor hic diu durans ardente pulsanteq; dolore existit molestus, non amplius Hæmorrhoidum cæcarum, sed in inflammationis veræ nomine appellatur, quæ, circulo humorum non maturè restituro, ob ruptos canaliculos minimos, effusumq; sanguinem putrescentem, non rarò in *abscessum* vel *ulcus* abit, quod sæpius *fistulas* post se relinquit: vel &, sanguine hic nimium coagulato, in scirrhus abit: aut pro sanguinis inclusi acrimoniâ corrosivâ in *cancerum* aut *gangrenam* degenerat: Unde Hæmorrhoides cæcæ, nunc *mites & benignæ*, nunc *malignæ, cancerosa & gangranosa*.

§. VII

Causa ergò *proxima* Hæmorrhoidum cæcarum est *suppressio earundem fluxus & in extremis tubulis stagnatio & concervatio*. Præcessit, ut antea innuimus, *annosa quadam sanguinis intemperies & cacochymica dispositio*, è primarum viarum vitio introducta. Hinc est, quod

quod in omnibus talibus, qui laborant hæmorrhoidibus, *Facies* plerumque flavedine, ut quandoque icterum videatur minari, imbuta sit; item, colore ex virore pallido, quales habent Judæi, & quo solo signo inductus *Forestus L. XXIII. Obs. 5. in Schol.* multos hæmorrhoidibus laborare, magno artis honore pronunciauit. *Habitus* corporis gracilis & macrior sæpè ad hunc affectum pronior notari solet, alimentosâ sc. sanguinis parte ab acidis acrioribus inversâ & depravatâ. Malum præterea audit hæreditarium, si liberi ejusdem cum parentibus craseos atque texturæ humorum participes fiunt, sic quoque, ut totis familiis commune observatum sit; quale exemplum de *Severiff. Rege Polon. Uladislao IV<sup>to</sup>* recitat *A. Cnoeffel Ephem. Medico-Physi. Germ. Dec. I. An. 6. & 7. append. p. 1. De Comite quodam per illustri Rein. Solemader L. IV. cons. 20.* Vid. & *Schenck. Observ. admir. 155.* qui tamen hæmorrhoidibus apertis magis fuere obnoxii. Nullus hic excludi debet *Sexus*; tam enim viri, quam feminae hoc molestantur morbo, licet hæ fluxum sæpius experiantur, aliquandò constantibus etiam mensibus, aliæ his subsistentibus, aliæ loco mensium, & quæ sunt cætera hujus fluxûs phænomena, tam erraticè, quam periodicè afficientis. Vid. *Auctores passim & Observationes in Bartholin. Act. Med. & Phil. Haffn. & Ephemerid. cit.* In primis autem sceminae, frequentius istæ, quæ ad hypochondriaca seu melancholica pathemata proclives sunt, appropinquanti jam, aut etiam, ubi difficili laborant partu, cæcas incurrunt hæmorrhoides; ob motum sc. sanguinis utroque

non nihil impeditum, idque ob vasa sibi & ex eodem trunco oriunda, angustata. Nec, *Ætas* excipienda ulla quamvis Hippocrates *Secl. III. aphor. 30.* his, qui juvenes ætate superant, seu consistentis, ætatis hominibus tribuat, & in *Coac. Prænotion.* ante pubertatem hæmorrhoides non accidere scribat. Peculiaris tamen, quod largimur, ætatem comitantur virilem, quod in eâ sanguis acore magis inficitur promptiusque hæret, unde nequit tam liberè remeare.

§. VIII.

Ex rerum *Non naturalium* classe huc facit *Aër* ambiens, frigidus, nimbosus nebulisq; densus; qui humores reddere crassiores, ora vasorum constringere, facere angustiora, insensibilemq; impedire transpirationem, atq; sic obstructionibus occasionem dare opportunam aptus est. Porissimum autem, ad hoc excitandum augendumq; malum confert refrigeratio partium circa anum, podice nimirum circa egerendi tempus denudato, & frigori, ubi humus riget gelu, intensiori diutius exposito; aut sede captâ, per moram longiorem, in lapidibus gelidis. Quin latrina Hæmorrhoidum dolores resuscitans legitur in *D. Vir. Riedlini Lin. Med. An. 1698. Mens. Nov. Obs. 2. p. 906.* ubi aut acres ex talibus specubus in copiâ exhalantes particule irritant magis partem affectam; aut & frigus, quod ibi admittitur, magis congelat sanguinem, per se invasis stagnantem, undè non potest non dolor augeri. Porrò, notandum, inquit *Rodericus à Fonsecâ L. I. consult. 27.* quod Hæmorrhoides

des sint morbi regionales & Endemij, frequentiffimi Venetis, Patavij & locis circumvicinis; quarum causæ, præter aëra, ipsi multiplices esse videntur. *Pri- ma* est, *pergit*, frequentiffimus usus *pilularum Aloës*: *Secunda* tumores lienis, qui & ipsi quoq; frequentiffimi sunt in his locis: *Tertia* multiplex usus medicamentorum purgantium, clysterium & suppositoriorum: *Quarta* attritio partium illarum. Tandem Hippocrates *Libr. de Aire, Aq. & Loc. c. 4. §. 7.* Hæmorrhoides *Meridionalibus* magis, quam *Septentrionalibus* frequentes asserit, quod de apertis possimum intelligendum, quibus *isti*, ob sanguinis acrimoniam & calorem, *hi* verò cæcis, ob ejusdem crassitiem temperiemq; frigidam, frequentius, cæteris paribus, tentantur. Quoad *Victus* rationem contribuunt ad hunc affectum singulariter *Cibi* viscosi, pituitosi, crudi, chylum nonnisi crassum, lentum, fæculentum præbentes: Contribuunt acidi, dyspepti, frigidi, fructus horæj, aliq; , & quidem austeri, quorum præ aliis ferrure esse sorbus minor & major, & similes: Contribuunt maximè Saccharata & Mellita, hinc non solum viris, sed & feminis Anglicanis, ex observatione Hodæporicorum, quod impensius illis delectantur, Hæmorrhoides quasi propriæ: Contribuunt etiam insolentiores Allij abusus, qui ad augendam & provocandam reliquam dispositionem, in Judæis plerumq; plurimum valent; ( quibus adjungunt otiosam, quam degunt vitam, ut & continuum, in quo versantur, metum ) minus autem, quod hi ipsi, ob maledictionem divinam, præ cæteris gentibus crebrius infestentur

hæmorrhoidibus, eò, quod clamassent: *Sanguis ejus* (Christi sc. Salvatoris nostri) *esto supra nos et filios nostros. Matth. XXVII. vs. 25.* idq; prædictum esse à Regio *Psalm. LXXXIII. vers. 66. Et percussit eos in posterioribus dorsi, opprobrium sempiternum dedit illis.* Vid. *Henn. Petri Nosolog. Harmon. Dissert. XXXII. §. 19. p. 77. Bern. Gordonii Lil. medicin. Partic. 5. c. 20. subr. 9. not. 4. Conf. Cass. à Rejes Elys. Jucund. Quest. Camp. 47. num. 16.* Verùm aliam admittendam esse interpretationem *Vir Doctiss. Dn. Bochart. l. in Proem. cit.* accuratè perspexit, qui hostes (אויב) *retro, à tergo, seu, ut vertunt nonnulli, in posterioribus dorsi, percutere, non morbo affligere atq; sic plagam injicere, sed idem esse, ac bortes infugamvertere* multis probat exemplis. Contribuunt deniq; Potus acidi, vinorum aut cerevisiarum acetosarum, ut & ipsius accei, imprimis frequentius & immoderatus in victu adhibiti, usus, haustusq; aquarum liquorumq; aliorum gelidus. Sanè, quantæ insidiæ à nimis *Vigiliis* liquori vitali struantur, in propatulo est: Extensione enim lubricationum in multam noctem, laborum continuitate, œconomia animalis mirum in modum destruitur, præsertim, cum Spiritibus animalibus, undiquaq; sic per totum coctus perpetuò ruentibus & maximâ sui parte consumtis, massâ sanguinea segniori moveatur pede, humoresq; visciditate acrimoniâq; involvantur, qui aliàs admittens somni dulcedine attenuandi temperandiq; forent: Quid, quod *Somnus* etiam nimis agro nostro pœnas irrogat, quas minatur transfessoribus, sanguinem sc. in motu suo segnem, tardiorum & cruditatibus cumulandis, obstructionibus que



que generandis reddens obnoxium. *Motu* sanguis, in malè jam dispositis, in omnibus aliis vasis sanguiferis utcunq; benè circulator, in hæmorrhoidalibus autem proptereà facilius obhæret & stagnat, quod homo forsan equitatione, vel vectione paulò laboriosiori, curso diurno, saltationeq; nimià agiter corpus: *Quiete* verò, quod multum sedeat atq; instar cochleæ studiorum gratia domo & Musæo quasi affixus hæreat, ut quâ insensibilis sufflamina- tur transpiratio, fuliginibus morbosis retentis conspurcatur massa sanguinea, & quod magis, utrovis modo vasa illa, plus, quàm quævis alia, comprimantur. *Excreta* & *Retenta* accusantur tunc potissimum, cum humores inutiles per pororum spiracula excerni soliti justo diutius retinentur, quo ad acredinem suscipiendam & obstructions causandas sufficiens præbetur occasio; cum *scyphala* alvi haud tempestivè deponuntur, quæ *duriora* sæpè hæmorrhoides excitant fluentes, & cæcas magis reddunt dolorificas; concurrenti in primis *nisu* impetuosissimo *expressorio*, qui reliquas circumstantias magis in actum deducit; cum deniq; *menses* supprimuntur aut planè deficiunt; ut taceamus evacuationis solutæ per nares, VSionem, cucurbitula, omissionem. Nec silentij peplo hîc involvenda largior *feminis* in Venere *profusio*, quæ sanguinem spirituosissimè valdè partibus depauperans humorum quoq; crassitiam lentumq; motum infert; proin Italos, Hispanos atq; Gallos, Veneri maxime inhiantes, præ aliis tam gravi ac vehementi in podice pœnâ, reliquis tamen consentientibus, afficiens. Quæ restant *Animi pashemata* forti-

fortiora ad gignendam sævam hanc progeniem in infimâ sede multum tribuere planum est, maxime iram, metum, expavescentiam crebriorem, ob spirituum scemotum contitatioem, omnes, quodquot fere sunt, membranas corporis quasi convellentes, sicq; poros substantiæ ani & orificia arteriolarum venarumq; capillarum constringentes & angustantes; non exclusis aliis, quæ itidem motum machinæ nostræ ordinari-um confundere ac perturbare valent, ut sunt curæ, mærorum ingens, quo, *Juxta Sylvium, omnes humores redduntur glutinosiores, quo sine vivere vera vita est, ante interitum concreat ille mille mortes.*

§. IX.

*Ex causarum præternaturalium numero viam affectui huic atroci pandunt morbi, Conf. supra §. 6. uti sunt frequentiores, affectus hypochondriacus, mania, melancholia hypochondriaca, scorbutus, nephritis, scirrhiacumores viscerum, & similes, etsi haud negandum, ope fluxûs Hæmorrhoidalis hos ipsos plerumq; solvi ac curari. Speciatim in quartanâ observavit Hæmorrhoidum intumescentiâ *Fel. Platerus Obs. L. III. p. 86i. In dysenteria quoq; tumuisse admodum, & quidem digiti instar, cum dolore incipienti, notat idem l. c. p. 86i. & Venerem Gallicam in lue suâ has easdem in podicis scenam producere, optime enim aliis notavit J. Hartmannus Pract. Chymiatr. cap. de Lue. Vener. p. 76. Oper. edit. in fol. ubi, si condylomata, ait, marisca & hæmorrhoides cæcæ anum, vel partes obscenas possiderent, doloribus artuum vel nullis, vel aliquibus presentibus, modò canonem generalem suppleat (consciis sc. concubitis contagios, vel cum scortis infestis**

*infecto parati) ab inspectorum numero excludendus non est.*  
 Rationem Hæmorrhoidum præsentia in his morbis,  
 ob præscriptas brevitatis leges, non addimus, cuilibet  
 facile perspicuas.

§. X.

Quæ cum ita sint, quid tandem jam consilij  
 & quæ suppetiæ ferendæ Hæmorrhoidibus illis cæcis?  
 Eæ nimirum, quibus secundum illud vulgare *citò, tu-  
 rō & jucunde* sanitati pristina restituantur laborantes.  
 Quod ut eò felicius præstemus, præsentibus nobis, &  
 quæ ex hætenus dictis sequuntur, præscribemus cu-  
 randi regulas. (1.) *Sanguis, causa sc. quæ eas excitavit,  
 vel fovet, avertendus, & ne nimis impetuose affluens accu-  
 muletur, præcavendum.* (2.) *Hæmorrhoides tumentes quo-  
 vis modo, si alias fluxerint, aperiendæ, vel si non fluxerint,  
 vel non ex usu sit ut fluant, aut resolvendæ aut discutiendæ.*  
*Semper verò (3.) Dolor earum, si nimis urgeat, sit q̄ inflam-  
 matorius, mitigandus. Nec minus (4.) Aliorum Sympto-  
 matum habenda ratio.*

§. XI.

*Citò ergo, ac primò quidem administranda est*  
*vsio,* egregium in præsentī malo auxilium & in ple-  
 thoricis necessarium, *largior,* aliquoties, si opus fue-  
 rit repetenda, ne istâ neglectâ pleno impetu ad par-  
 tem affectam fluat sanguis eamq; distendat, vel eti-  
 am inflammet, eòq; magis, si jam adsit inflamma-  
 tio; imo ad præcavendum in metuentibus hæmor-  
 rhoides cæcas, si olim fluentes habuerint, quæ inte-  
 rea non amplius apparuerunt. *Vicariam verò, si*  
D *hæc*

hæc recusetur, præstabunt operam *Cucurbitula*, artubus tam superioribus, quam inferioribus, scapulisve, in specie una in fine spinæ dorsi cum scarificatione applicata, licet dolorifica sit, maximè tamen conferre, experientiâ edocti scribunt.

§. XII.

Tudò, quando malum hoc est contumax, nec à *Visione* inflicità remittit, aperiuntur per *interna & externa medicamenta*, minus *instrumenta*. *Interna medicamenta* sunt, quæ sanguinis crassitiem, lentorem, visciditatem, fixitatem, tartarum, aliasq; omnes in genere remoras attenuando & incidendo expediunt ac tollunt, qualia sunt *menses moventia*, quæ etiam hæmorrhoides promovent. In primis verò conferunt *Martialia*, variâ formâ & vestitu, eoq; vel spissiori, vel sicco & liquido superbientia, quæ cæcas, ut observatum est, vel faciunt, ut dispareant, vel aperiunt; ut & *Aloëtica* remedia quæcunq; parte sui resinosa, circa partes ani adhærescendo, easdem, ut facile effluat sanguis, stimulantia, & ratione aloës *Elixir proprietatis*, & similia, quæ ingredi solet. *Myrrhata* in ciendo quocunq; sanguinis fluxu, præsentaneam spondent operam; item *Purgantia* quævis acriora & magis resinosa commodè usurpantur, præsertim cum sanguis sæpè numero in nodis hæmorrhoidalibus, propter scybala excrementorum alvina, extus prementia, vix circulum suum queat conficere, hoc autem facto scybala intestinorum duriora emolliantur, debitè evacuentur &, ut referentur, va  
sa

sa convenientius disponantur. Equidem laudantur ab his *potentiora* ex scammonio, colocynthide &c. culpantur ab illis præferunturq; leniora, ac quidem rectè, ne humorum nimis incisorum & irritatorum affluxu tumor cum dolore magis accrescat, gravioribusq; indè symptomatibus aperiatur occasio. Post hæc humoribus acidis, ponticis, austeris & stypticis strenuè obviam eundum *precipitantibus* ac *sudoriferis*, & si radicalis hæmorrhoidum cura tractanda est, *vegetalibus amaricantibus aromaticis*, eò ferè modo, quo in genere morbi *chronici* & vulgò dicti *splenetici* curari cupiunt. *Externa* antequam applicentur remedia *aperientia*, atq; ut major ab his oriatur virtus, præstat *balneis* aut *femicupis*, item *fomentis*, præsertim paratis ex *lacte tepido*, vel *solo* vel cum *emollientibus* bullito, partem affectam quasi præparare, ut blando ejusmodi tepore ac vapore. & ipsa extrema vasorum crasso sanguine jam turgentia reddantur mollia, impectiq; humores à vaporibus calidis partis poros subeuntibus attenuentur, colliquantur, reddanturq; interdum spontè fluxiles. Emollitæ verò aperiuntur *frictionibus*, *asperiusculo* cum *linteo* factis, vel *foliis ficus* recentibus modicè tritis, forti impressione lac acre ac ferè causticum plorantibus ad aperiendum acrimoniâ suâ aptum, vel *foliis mercurialis*, *Parietaris*, *Borraginis*, *Buglossæ*, *Betæ*, *Centaurij min.* aliisve; qualia ramentum folia sæpius, per solam applicationem, operam suam præstant. Vel illinuntur commodè vasa tumentia, cum *succo Cyelaminis*, vel *solo*, vel cum *succo betæ* juncto; vel recipiuntur alia acria, ut *succus ceparum*

recens, itidem vel *solutus*, vel cum *aloë*; aut *medulla coccyminidis* cum *Ol. amygd. amar.* aut hujus *pulvis*, adjecto *felle bubulo* aut *porcino*, cum melle probe permittus, sub formâ linimenti adhibetur, omnibus verò hiscè, & similibus, quæ restant, remediis externis, urgenti plus minus *inflammatione, ardore ani* &c. tam diu prius in mortario plumbeo ductis, donec lividum ex plumbi ramentis acquirant colorem, cum *plumbo* nihil convenientius sit ad arcendam inflammationem. Præterea variant magis *externa* hæc præsidia, quorum plura sibi formulis cum modo applicandi subjicienda forent, ni libros Practicorum hîc attingere, cuilibet serè obvios, idem esset ac otiosam operam in non necessariis verbis consumere *Suppositoria* ut hæc non intacta linquam, nisi nimium intumuerint hæmorrhoides, ut admitti sine dolore nequeant, conveniunt *è bulbis ceparum* adornata, *oleo orvor.* vel *Rosar.* intincta & successivè ano intrusa, vel ex *sapone albo* recentî parata *oleoq; irimo* imbuta, aliâq; ex illorum numero huc facientia; & quæ sequuntur *Injections* & *Clysters* ex emollientibus & incidentibus, atq; ut diutius retineantur & melius operentur, in minori parandi quantitate. Quod si frequens *Clysterum* usus in indispositis hæmorrhoides provocat, quanto magis in dispositis promovebit? Vid. *Fr. Deckeri Exerc. Med. Pract. c. VI. p. 431. edit. in 4to.* Verùm *suppositoria aëria* & *enemata* caute esse adhibenda, tot sinistri hinc indè notati relinquunt eventus, uti etiam Magno illi *Literatorum Mæcenati Nic. Claud. Fabricio de Peiresc,* clystere non satis caute administrato

frato ea facta fuit hæmorrhoidum læſio, ut gangræna ad eas partes brevi fuerit ſubnata, referente in ejus Vitâ P. Gaſſendo L. VI. p. 254. Jam verò, ſi fruſtrâ tentatis aliis apertio haud ſuccedit, quæritur ergò an ad *inſtrumenta chirurgica* progrediendum, quæ ſunt *hirudines ſ. ſanguisugæ* cæcis applicandæ, & *lancetta* vel *ſcalpellum*, quo tuto hæmorrhoides aperiri queant tumentes? Sane advertendum, has ipſas apertas ſponte naturæ tantummodò ſupervenientes, utiles; ſecus verò ſi aliter proritatæ, arte quâvis promoveantur. Evacuatio enim iſta ſpontanea ac naturalis, non tantum ejus humoris ſit, qui melancholiam aliòſq; morbos fovet, verum etiam opportuno tempore & eâ quantitate, quâ convenit cum viribus ægrotantis; hæc enim non benè quis, licet magnus Apollo, internofcere valebit, ut quid, quantum & quando evacuandum ſit, ritè peragat. At verò, poterit tantum, inchoatum in eas partes deſluxum adjuvare medicamentis, ut modò dictum, laxantibus & emollientibus, quibus ſc. Natura ipſa alliciatur ſolum, neſtquam verò irritetur & concidat, cum *omne nimium ſit naturæ inimicum*. Sunt equidem, qui ad *hirudines*, ceu ſacram anchoram confugiunt, à quibus tamen prudenter abſtinendum, cum non rarò inde nimius ſanguinis fluxus, vel etiam ulcus hæmorrhoidale metuendum ſit. Hinc hirudinum applicationem cum Viro Celeberr. J. Dominic. Santorino Opuſc. med. III. tanquam *remedium impudicum* rejicimus, quod, cum *triangulari earum aculeo ſuccus detertus in vulnus nâræ queat inſtilari, per hirudinum verò ſectionem,*

*suctionem, aëris externi gravitati adscribendam, non sanguis feculentior, sed purior, relicta portione rubicunda, veluti sanguinis terra damnata, sine omni electione eliciatur, neq̄ alio cum alimento, quàm quod vasa debilitentur, ut temporis tractu excretio naturalis cum majori fructu possit sequi. Lancetam vel scalpellum fugimus, perterriti potius exemplis eorum, qui facta sic scalpello apertione, hæmorrhagiam immedicabilem & fistulas, omne curationis opus respuentes, incurrerunt, quàm persuasi experientiâ quorundam felicem successum, sed raro, ostentantium. Notum præterea est hamulosum *Dipsaci pericarpium*, *cardui* illius, mense septembri collectum & ad illud globuli plumbei frustulum, quò certius impelli possit, & pueris ac mulieribus, qui à scalpro abhorrent, accommodatum: tutò enim sic, juxta nonnullos, particulam feriet, humore quantum opus exhausto. Sunt etiam, qui *scis* eas pungere, donec sanguinem profundant, docent. Quorsum tendere videtur nova illa ab *Indiis* in nostras regiones importata *acu punctura*, perpetuum ibidem, ut refertur, efficax similibus dolorum remedium, cujusq̄, acus tradit delineationem, insimulq̄ applicandi rationem, ac usum in diversis affectibus singularem declarat *Dn. Wilhelm. ten Rhyn* Dissert. de *Acupuncturâ annexâ* dissert. de *Artbritid.* &c.*

§. XIII.

*scandè*, si hæmorrhoides cæcæ non aperiendæ, nihilominus tamen admodum dolentes ac tormenta inferentes discutiendæ sunt, pro mitigando dolore



dolore tam tuberculorum, quam dorsi, præscribemus  
*fomenta, cataplasmata & linimenta paregorica & anodyna,*  
 quorum, ut & sic dictorum specificorum ingentem  
 numerum, enarrare præfixa, ne fiat, monet brevi-  
 tas. Inveniuntur talia apud *Sennert. Forst. Riverium, Man-  
 get. Biblioth. Med. Pract. Walther. Sylv. med. aliosq; plures.*  
 Taceo, itaq; quæ optima censetur, in hoc affectu *Rad.*  
*Scrophular.* mitto *topica* haud spernenda, quæ suggerunt  
 herbæ *Verbasco. linar. plantag. millefol. hyperici, portulac.*  
*hyoscyam. mandragor. chamomill. malv. fl. sambuc. sem. lini*  
*fenugr. ac. telephium s. fabaria* quæ à *Mayerne Prax. L. III. c. 5.*  
 & à *Dn. D. Wedelio*, ut amuletum summè laudatur  
 in *Ephem. Acad. Nat. Curios. Dec. I. An. 2. obs. 195.* de  
 quo omnino confer. quæ habet *J. Wolff. Scrutin. Amu-  
 let. Med. Sect. I. c. 2. p. 206.* Prætereo, quæ efferunt,  
*olea lini, sesami, infus. lil. alb. hyperic. verbasco. & linimenta*  
 ex *mucilag. sem. psyllij, aquâ rosar. fact. it. Unguent. de Lina-  
 ria, Verbasco &c.* cavendo, ne unguenta admoveantur  
 vetusta & rancida, ad dolorem jam exquisitum, nunc  
 magis intolerabilem reddendum perquam idonea.  
 Quod si verò dolor summus urgeat, confugito ad  
*narcotica*, atq; inter ea sui præ aliis recensio-  
 nem pe-  
 tunt *Opium. & Laud. opiat.* aliq; indè præparata, tum  
 intrâ, tum extrâ adhibita. Quæ restant *symptomata*  
 hæmorrhoidibus cæcis supervenientia, quod haud ra-  
 rò post apertionem nimius sanguinis fluxus, imò  
 quandoq; etiam in pus abire & exulcerari soleant,  
 inq; gangrænâ degenerare; quoad primum probè  
 memores sumus curæ nostræ in hæmorrhoidum  
 fluxu nimio probatæ, quoad verò postterius, restum  
 Medico,

Medico, tum chirurgo in primis prudenti & perito  
committenda est.

§. XIV.

Quoad deniq; *Dietam*, ita hæc institienda est,  
ut *victu* æger fruatur molli ac tenui; & ne fæces in-  
durentur, indurataq; in excernendo dolorem exa-  
cerbent, laxanti temperantiq; humorum acrimoni-  
am. *Cibus* eligatur boni succi, conditus iis, quæ atte-  
nuandi, incidendi & aperiendi vi pollent. *Potus* fit  
cerevisia magis temperata, paulò quidem copiosior  
ad alvum potissimum laxandam. Vinum non fit  
generosum & hauriatur moderatè. *Affectus animi*  
rationis subsunt diætamini & vitentur omnia, quæ  
ex supra memoratis causam dare possunt. Accura-  
tissima aliàs in diætâ hic observanda legesis apud  
*Bened. Victor. Faverin. Consil. Medicinal. XXXII. p. 237.*  
Quod superest, rogamus Deum O. M.

*Aufugiant CÆCÆ, sicut omnibus AUREA VENA!*

*His quoq; tunc studiis AUREA VENA fluet.*


FINIS.

*Errata.*

*Pag. 9. §. 3. lin. 4. leg. conjuncta p. 22. l. 13. hostes, p. 23. l. 23.*  
*solita. l. ead. cucurbitulas. Cæteris æquus Lector ignoscat.*







D1 A 6633


ULB Halle 3  
003 090 418




Sb.

D 17







DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**PHILISTÆORUM  
PLAGA,**

*i. Sam. V. vers. 6.*

Quam

EX DECRETO GRATIOSISS. FACULTATIS MEDICÆ  
IN ALMA VIADRINA  
PRÆSIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO

**DN. CONRADO JOHRENIO,**

PHIL. ET MED. U. DOCT. FACULTATIS SUÆ

SENIORE & PROF. PRIM. p. t. DECANO,

PRO GRADU DOCTORALI

SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET  
PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CAPESSENDIS,

Publicæ Eruditorum disquisitioni

submittit

*Ad Diem*      *Januar. Anno M DCC XV.*

AUTOR

**GEORGIUS Ruppermann/**

Gubenâ Lufatus.

~~~~~  
*Francofurti ad Viadrum, Literis TOBIÆ SCHWARTZII.*